

crucifixum: tamen quem non invenerat reum, non poterat tenere damnatum, quia culpam non facit poena, sed causa: quasi solitum cibum perditum in origine mundi hominem devoravit: sed magnam esse sibi ipsius dignitatem praefocata cognovit. Atque ideo divinus sermo commemorat & praecipit pisci, & evomit Jonam in aridam. Praecipit ergo bestiae, praecipit morti semper esurienti, praecipit abyssi & inferno, ut mundo restituant salvatorem. Evomit autem, hoc debemus accipere, quod ex imis visceribus mortis, victrix vita remeaverit: atque eam ex imis praecordiis inferni perditio exulcerata reddiderit.

Videmus itaque in Propheta afflictionibus apertissime praefiguratam pariter & mortem & resurrectionem. Quapropter quod impletum cernis in sermo, credere non cuncteris in Domino. Quae cum ita sint, perspice homo quantum valeas, & perpende quid debeas: perspice quantum valeas, ut tandem vilis esse tibi desinas: ut vel per hoc crubescendis subjacere vitiis dedigneris, dum generositate tuam de creatoris ac reparatoris dignitate metris. Habet causas quibus te ipse confundat: cur indignis dominis victo corde subdatur, cui gloria aeterna promittitur: & sic gemino privilegio, qui dudum divinae imaginis participatione fulgebas, efficeris etiam commercii nobilitate pretiosus. Unde quam fortis esse possis contra hostem tuum: interroga statum tuum, quod tibi Dominus ad debellandum in membris tuis mundi principem, & spirituales nequitas superandas liberam contulit facultatem: ac sic impossibile non putes ut transferri obtineas in angelicas beatitudines: cum in hoc saeculo angelicas deviceris potestates. Non ergo te degenerem ac despectum faciat vita, quem vel factura probatur illustrem protulisse vel gratia: sed cursum fidelis Christi sanguis ad superna fiducialiter extollat. Nam qui se caelesti pretio vident redemptos, ad caelestia non dubitent praeparatos.

## CENSURA EPISTOLAE SEQUENTIS.

*Vide dubitatum & ab aliis, cujus sit haec Homilia. Cuius sit non pronuncio, quamquam Leonem aut Maximum refert. Hieronymi non esse palam est.*

## DE NATIVITATE DOMINI Sermo.

**H**ODIE verus sol ortus est mundo: hodie in tenebris saeculi lumen ingressum est. Deus factus est homo, ut homo Deus fieret. Formam servi Dominus accepit, ut servus verteretur in Dominum. Caelorum habitator & conditor habitat in terris: ut homo colonus terrae migraret ad caelos. O dies omni sole lucidior: o tempus cunctis saeculis expectatius. Quod praestolabantur angeli: quod Cherubim & Seraphim & caelorum ministeria nesciebant: hoc in nostro tempore revelatum est. Quod illi videbant per speculum & per imaginem: nos cernimus in veritate. Qui populo Israelitico loquebatur per Isaiam, Jeremiam caeterosque Prophetas, nunc nobis per filium loquitur.

Videte quid sit inter vetus testamentum & novum. In illo loquebatur per nebulam: nobis loquitur per serenum. Ibi Deus videbatur in rubo, hic de virgine Deus nascitur. Ibi ignis erat populi peccata consumens: hic homo est populi peccata dimittens, imo ignoscens servis suis. Nemo enim potest peccata dimittere, nisi solus Deus. Sive hodie Dominus Jesus natus, sive hodie baptizatus est, diversa quidem opinio fertur in mundo, & pro traditionum varietate, sententia est diversa. Nobis illud constat ad liquidum quod sive hodie natus ex Maria virgine est, sive renatus ex baptismo, & nativitas carnis & spiritus nobis proficit: utrumque mysterium meum, utrumque utilitas mea est. Dei Filius non habebat necessarium, ut nasceretur, ut baptizaretur. Neque enim peccatum fecerat quod ei remitteretur in baptismo: sed illius humilitas, nostra sublimitas: illius crux, nostra victoria est: illius patibulum, noster triumphus est.

Gaudentes hoc signum levemus in humeris nostris: victoriarum vexilla, & immortale lavacrum portemus in frontibus. Cum hoc signum diabolus conspexerit in frontibus nostris, contremiscit. Qui aurata Capitolia non timent, crucem timent. Qui contemnunt sceptrum regalia & purpuras Caesarium & dapes, Christianorum sordes & jejunia pertimescunt.

Denique in Ezechiele Propheta, cum omnes qui missus fuerat angelus occidisset, & interfectio cepisset a sanctis, illi tantummodo solpites reservantur, quos Thau littera, id est, crucis pictura servaverat. Exultemus itaque ad crucis similitudinem: sanctas in caelum levemus manus: cum sic nos armatos demones viderint, opprimuntur. Quando Moyses erectas habebat manus, vincebatur Amalech: si paululum ille conciderant, invalescebat. Antemnae navium & velorum cornua, sub figura nostrae crucis volitant. Aves quoque ipsae quando in sublimiora tolluntur & pendunt per aera: extensis alis imitantur crucem. Sed & trophaea ipsa & victoria triumphorum, ornamenta crucis sunt: quam non solum in frontibus, sed in manibus quoque nostris habere debemus: ut si sic fuerimus armati, calcemus super aspidem & basiliscum, per Dominum nostrum Jesum Christum, cui est honor & gloria in saecula saeculorum: Amen.

## CENSURA EPISTOLAE SEQUENTIS.

*Nec de hac quicquam habeo quod pronunciem, nisi non esse Hieronymi. Et addubitant inscriptiones exemplarium.*

## DE EPIPHANIA DOMINI Sermo.

**D**IES Epiphaniae Graeco nomine sic vocatur. Quod enim nos apparitionem, vel ostensionem dicimus, Graeci *επιφανεια* vocant. Hoc autem ideo, quia Dominus noster hodie & Salvator apparuit in tenebris. Licet enim olim natus esset ex Maria, & triginta jam annorum expleisset aetatem: tamen ignorabatur a mundo. Eo tempore cognitus est, quo ad Joannem Baptistam, ut in Jordane baptizaretur advenit, & vox de caelo Patris intonantis audita est: Hic est filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui. Quem pater de caelis monstraverat voce: hunc Spiritus sanctus versus in columbam & super caput illius sedens, tactu quoque ipso voluit demonstrare, ne quis alius Dei Filius putaretur a populo. Quid hac humilitate sublimius? quid hac vilitate nobilior? Baptizatur a sermo, & a Deo Filius appellatur. Inter publicanos, & meretrices, & peccatores ad lavacrum venit, & sanctior est Baptista suo. Lavatur a Joanne in carne, & ipse Joannem in spiritu lavat. Aqua quae caetera mundare consueverunt, Domino nostro lavante mundatae sunt. Jordans fluvius, qui eo tempore quando populum Israel eduxit Jesus ad terram repromissionis, fuerat exsiccatus: nunc membris Domini tactis, si potuisset undas uno loco voluerat congregare, ut Domini corpus attingeret.

Videte fratres, quomodo id quod in Evangelio lectum est: in vigesimo octavo psalmo fuerit ante praedictum: Vox Domini super aquas. Locutus est enim Dei Filius ad Joannem. Sine modo, sic enim oportet nos implere omnem justitiam. Sequitur: Deus majestatis intonuit, quando pater filio testimonium reddidit, dicens: Hic est filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui. Vox Domini confringentis cedros, Baptizatus est enim Christus, & erecti prius atque sublimes demones corruerunt: succidit eos Dominus tanquam cedros Libani: & comminuit eos Dominus tanquam vitulus fragmenta arborum ventilans, & calcibus stirpes in diversa dispergens. Et e contrario de salvatore quid dicit: Et dilectus sicut filius unicornium. Dilectus Dominus noster atque Salvator est, filius unicornium, filius crucis: de quo dicitur in cantico Habacuc: Cornua in manibus ejus, ibi abscondit fortitudinem suam. Postquam ergo dilectus iste crucifixus est: impletum est illud quod sequitur in psalmo: Vox Domini intercedentis flammam ignis. Illo enim baptizato, & universo mundo Christo lavante mundato, gehennae ignis extinctus est. Vox Domini concutientis desertum. Deserta fuit Ecclesia, quae prius filios non habebat.

Ad praedicationem Christi, deserta commota est, & parturivit & peperit: & nata est in una die gens tota simul illa, quae ante dicebatur desertum Cades, hoc est, desertum sanctitatis: siquidem quae non habuerat sanctitatem, cepit parere cervos, & sanctorum emittere greges, qui serpentes interficiunt, qui venena contemnunt: quibus discurrantibus in toto orbe, & Christi Evangelium praedicantibus: in templo ejus omnes dicent gloriam Deo. Sequitur: Dominus diluvium inhabitare facit. Consideremus totum orbem, respi-

ciam barbaras nationes, Romanum quoque mente lustremus imperium: ubique in Christum credunt, ubique in nomine Domini baptizantur: & ita fit ut non una aqua: sed quodammodo sit diluvium baptismorum. Quapropter consummatum est tabernaculum: hoc enim psalmi istius titulo praenotatur: quoniam Ecclesia ex vivis lapidibus extructa est. Afferamus Domino Filios Dei, afferamus ei filios arietum, Apostolorum & sanctorum: & imitemur salvatorem nostrum: quia ipse & pastor & agnus & aries appellatur, qui pro nobis immolatur in Aegypto, qui pro Isaac cornibus tenetur in sentibus, & dicamus: Dominus poscit me, & nihil mihi deerit, in loco pascuae, ibi me collocavit. Super aquam refectionis educavit me: cui est honor & gloria in saecula saeculorum: Amen.

## CENSURA EPISTOLAE SEQUENTIS.

*Adeo non sapiunt haec Hieronymum, ut parum abfuerit, quin in extremam classem relegarim: nisi quod malui in hanc peccare partem, ut indigna lectu ferrem, quam ut digna rejicerem.*

## SERMO DE QUADRAGESIMA.

**Q**UOMODO miles semper exercetur ad praedium, & simulatis ictibus, veris postea vulneribus praeparatur: ita omnis quidem Christianorum vita indiget abstinentia: sed maxime quando hostis propet est, & praeparatum adversum nos exercitum ducit inimicus. Omni servus Dei tempore jejuniandum est: sed tunc amplius cum ad immolationem agni, ad mysterium baptismatis, ad Christi carnem & sanguinem praeparatur. Statim enim ut oves suas recedere velle de proprio grege viderit diabolus, fremit, irascitur, furit, & totis adversus eas viribus commovetur, perire sibi existimans quicquid Christo salvatur: & mori synagogae suae, quidquid Ecclesiae vivificatur.

Quia ergo, fratres charissimi, ad Domini sacramentum quadraginta dierum jejuniis praeparatur: jejuniemus tot diebus pro peccatis nostris, quot pro scelere nostris Dominus jejuniavit. Illum post baptismum tentat diabolus. Non enim sciebat esse filium Dei: propterea negligebat. Denique postea cognoscere cupit in tentatione, dicens: si Filius Dei es, dic ut lapides isti panes fiant. Et si Filius Dei es, mitte te deorsum. Nos autem quia scit velle filios Dei fieri, propterea expugnare nititur, & quasi serpens lubricus nostros involvere pedes, ne ascendere valeamus ad caelum. Si autem Dominum tentare ausus est versipellis & nequam: quanto magis nos decipere non timebit? Si contra Dei Filium & figulum suum, vas perditum repugnavit: quanto magis contra nos qui inferioris ab eo naturae sumus audebit insurgere? Si iustus vas salvabitur, impii & peccatores ubi permanent? Non quo Dominus noster decipi poterit a diabolo, sed quo formam servi accepit, in omnibus se tribuere volens exemplum, ut nemo sibi in sanctitate confidat, cum etiam ille tentatur, quem non possunt tentamenta superare.

Hoc totum idecirco replicamus, fratres charissimi: ut sollicita mente caveamus, ne exeuntes de Aegypto: & per quadraginta dies, quasi per quadraginta annos ad repromissionis terram per eremum festinantes, desideremus carnes & ollas Aegypti, & a serpentibus mordeamur. Exivimus de Aegypto: quid nobis cum Aegyptiis cibis? Qui habemus caelestem panem, terrena alimenta quid quaerimus? Relinquimus Pharaonem, invocemus auxilium Domini: ut nobis Aegyptius rex in credentium baptismate submergatur. Ibi pereant equi & ascensores eorum: ibi fremens adversarii necetur exercitus. Non murmuremus adversus Dominum, ne a Domino percuiamur. Non detrahamus de sacerdotibus nostris: & magis a vitiis jejuniemus quam a cibis: licet & ciborum abundantia sint fomenta vitiorum. Si Aaron & Maria contra Moysen murmurantes, Dei pro sermo suo senserunt vindictam: quanto magis si aliquis nostrum praepositum suum vi-pereo ore laceraverit, divina sententia punietur? Sed & sacerdotibus simpliciter praevendendum est, ne duplici mente sint, ne Domini ambigant potestatem. Si etiam Moyses & Aaron (qui ad aquam contradictionis visi sunt fluctuare) non inmeruerunt terram repromissionis intrare: utique multo

Tom. V.

magis nos qui peccatorum premimur pondere, non valebimus fluentem Jordanis transire: & ad locum circuncisionis, id est, Galgala pervenire, si scandalizaverimus unum de minimis istis. Unde tam labores pastoris quam gregis fecunditas: tam ubertas messium quam agricolae studium, Domini horreis praeparantur. Toto nisu ac labore tendamus, ut digni efficiamur adventu paschae, & carne ac sanguine agni Christi Jesu: Amen.

## CENSURA EPISTOLAE SEQUENTIS.

*Eundem & hic sermo respicit auctorem, ut paucis quod sentio dicam.*

## IN VIGILIA PASCHAE DE ESU agni Sermo.

**H**ODIE fratres charissimi, populus Israel, & vere homo videns Deum (hoc quippe interpretatur Israel) egredi jubetur de Aegypto: hodie agnus Dei qui tollit peccata mundi pro omnium salute jugulatur: hodie sanguine illius postes domorum, id est frontes nostrae depinguntur: hodie occiduntur Aegyptii, & de servitute Pharaonis populus Dei liberatur: hodie percuiuntur primogenita Aegyptiorum, & Israelitarum non solum liberi, sed etiam irrationabilia jumenta salvantur: Homines & jumenta salvos facies Domine. Praeparemus nos, fratres charissimi, ad immolationem agni: & apprehendamus illum, non quando dubia lux est, & adhuc lunae cornua non implentur: non quando crescere incipit vel decrescere: sed quarta decima die, id est, lumine consummato atque perfecto, quando tota ejus lampade totus orbis impletur.

Nec putemus agnum istum anniculum ubicunque posse comedi. Praecipitur nobis, ut in una illum comedamus domo, id est, ne extra Ecclesiam immolari agnum putemus. Ex quo manifestum est, quod Judaei & Haeretici, & omnia conventicula dogmataque perverforum, qui agnum in Ecclesia non comedunt, non eos agni carnes comedere: sed draconis: qui datus est (juxta psalmistam) in escam populis Aethiopiae. Quomodo enim in diluvio non salvatur, nisi qui in arca fuerit Noe: & corruente Jericho una tantummodo Raab meretrix, id est, Ecclesiae credentis ex gentibus custoditur domus: Ita in immolatione agni, tunc vere agnus occiditur, cum in una maectatur domo. Erit, inquit, vobis agnus immaculatus: de agnis & haedis sumetis eum. Praecipitur & in alio loco: ut qui primo mense pascha facere non quiverit, secundo faciat: juxta quod & nunc jubetur: ut qui non potest habere agnum, saltem habeat haedum. Christus enim non ex haedis fit, quos a sinistris stare jubet: sed pro diversitate meritorum unicuique aut agnus, aut haedus fit.

Quaeritur etiam quare non in die agnus iste immolatur, sed ad vesperam. Haec causa manifesta est. Dominus enim noster atque Salvator in consummatione saeculorum passus est. Unde & Joannes in Epistola sua loquitur: Filioli, novissima hora est quando autem novissima hora est, finito die, noctis initium est. Sed hoc intelligendum est, quod quamdiu in isto saeculo sumus, id est, versamur in Aegypto, non sumus in clara luce: sed in tenebris atque caligine: licet Ecclesia, id est, luna quasi in nocte resplendeat: tamen veri solis non possumus habere perfectum fulgorem. In una, inquit, domo comedetis carnes assas igni: & azyma cum amaritudinibus manducabitis. Non comedetis ex eis crudum aut coctum in aqua: sed assum tantum igni. Jubetur nobis ut panes absque fermento veteris malitiae & nequiae comedamus. De quo fermento in Evangelio Dominus discipulis dicit: Cavete a fermento pharisaeorum: & postea interpretatur, fermentum pharisaeorum esse doctrinam.

Et nos igitur si a doctrina saeculi istius volumus esse alieni, & quasi extraneos a mundi conversatione nos facere, persecutionibus & pressuris subiecti sumus: & secundum Apostolum comedamus azyma sinceritatis & veritatis. Vis intelligere quod dico? Dic quod verum est: loquere quod sincerum est: nullius personam accipias, non divitis, non potentis, quamlibet sit potens, quamlibet sit nobilis, si peccaverit corripe eum: & comedisti azyma sinceritatis & veritatis in amaritudine. Unde & Apostolus ait: Inimicus factus sum vobis vera dicens. Et proverbium saeculi, gentilis

N ij